



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

XIV. Priores aliquot Calendarum Quinctilium dies.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

amicorum Lindam oblarus, eâdem horâ sibi integrè restitutus iter illud cum Lindensi commutavit. Non dispar propè fortuna Helenæ fuit, quæ, quemadmodum supra duos annos lentâ conficiebatur tabe, ita non aliâ quàm B. V. Lindensis ope, sibi restituta tredecim circiter leucarum iter pedes confecit. Denique & Andræ Knobloch, obsequiis cujusdam coloni in Libenau addicti, sed ex Stangendorff Brunsvicensi pago oriundi, similis videtur fuisse conditio. Utriusque oculi usum vi morbi propemodum amiserat, & ope B. Virginis Lindensis, ad quam per votum se receperat, alterius oculi recepit usum. Cum portò eodem iterum morbo tentaretur, iterum ad eandem patronam recurrit, iterumque opem expertus est. Quam quidem opem, ut in altera quoque vita experiretur anima, Christophori Grunwald è Scharffenstein coloni filii ante trienniû Brunsvicensis, ubi Philosophiæ operam dabat, nocturnâ cæde è vita sublatis, parens Imaginem beatæ Virginis Annuntiatae Lindam hodie transmisit.

## CAPUT XIV.

Priores aliquot Calendarum Quintilium dies.

PRoximo secundùm Idus Junias biduo, visi sunt non pauci Lindæ peregrini, præsertim è Meelfaccensi villâ Peterswald, sed partim ob redemptantiam, aut reditum maturantium præcipitiam, partim ob alia intercurrentia iis, qui consignare gesta debebant, negotia, nullum instituræ

institutum acceptorum beneficiorum examen, ter-  
tia igitur post Idus dies initium capiti huic dabit.

## I.

Sacer ignis in utroque restinctus pede, infans  
curata.

Philippi Siebenmarck Herbipolensis, jam autem  
civis & Oenopolæ Regiomontani conjux Elisabe-  
tha, utrumque pedem, sed maximè dextrum, sacro  
igne, per integrum fere annum, periculosè habebat  
affectum; ut per quadraginta hebdomadas ægerrimè  
se quoquam posset commovere. Adhibita sunt, quæ-  
cunque tandem potuerunt, chirurgorum aliorumq;  
remedia; sed propemodum incassum omnia: opti-  
mum fuit malagma, quod à B. V. Lindensi fuit admo-  
tum. Postquam enim ægra votum profectiois Lin-  
densis fecit, continuò vis mali remisit; ut jam ab ipso  
Assumptæ in cælum Deiparæ festo, sana atque incol-  
lumis perstitit; quemadmodum etiam incolumis,  
Anna matre, Danielis Schultz defuncti Consulis Bi-  
steinensis sorore, & Barbara consobrina sua comitan-  
tibus, Lindam xvi. Cal. Julias venit; ubi gratias, et-  
iam filiolæ suæ infantis Marianæ nomine egit; quia &  
illam ab ipso partu graviter ægram, cum eadem B.  
V. obtulisset, ad hanc diem sanam ac bene valentem  
recepit.

## II.

Sacer itidem ignis extinctus, & manus ac pedum  
restitutus usus.

Eâdem xvi. Calendarum sextilium die, Stanislaus  
Lau-

Laudansky Wierzboloviensis in Lituania inquilinus, unaque uxor illius Dorothea, confecto pedibus plus viginti leucarum itinere Lindam appulerunt, ut gratias Deiparæ pro recepta incolumitate, quam possent, maximas agerent. Nam Dorothea, ante quatuor annos, sacro igne faciem, pectus & genua ad atrum usque corporis miserrimè affecti colorem deposcente, magis viri manibus deportata, quam suis nixa pedibus, cum ad Lindensem perreptasset Adem, postquam sacrosancto est refecta Eucharistiæ epulo, suis mox niti viribus, ac suis remeriri tantum iter pedibus illo tempore potuit: superiore verò autumno, non minus periculoso defixa morbo, cum per sex hebdomadas nulla superesset vitæ spes, consilium mariti lecta, iterum Lindam, vel manibus pedibusq; reprimendo, peregrinationem vovit; & confestim, quasi ex aquis, ut ipsa ait, emersa, incolumis evasit. Jam verò Stanislaus (quod quidem admodum R. D. Andreas Lewgowd Wierzboloviensis Parochus publicis literis, manu suâ scriptis testatur) manum sinistram propemodum mancus, pedis insuper utriusque amiserat usum. Ubi verò se comitem uxori iturum vovit, manus quidem exinde singulare expertus est levamen, pedum verò usum è vestigio recepit, ut tantam itineris intercapedinem potuerit emeriri pedes.

## III.

Mulier ex loco non catholico, filiam voti ream  
sistit.

Haud procul Bartensteino, civitate in Ducatu  
Prussiae sita, pagus est Machsmus nomine, sub Pæ-  
dican-

Z z 5

dicantur uti vicina loca, jugo constitutus. In eo Matthæi Raffel uxor Anna, incertum an catholice, filiam, quam à teneris Deiparæ Lindenſi devoverat, jam ſeptendecim annos natam, voti ream adduxit. Parvula cum eſſet noxiſſima admodum morbo affecta, curari nullo alio, niſi voti Lindam editi remedio potuit. Potuiſſet quidem, ac fortaiſſe etiam debuiffet, diu ante Lindam deduci, ſed mater, quæ nonniſi jam adultam promiſerat ſiſtendam, neque ſibi neque filię moram iſtam noxę putavit fore.

## IV.

Biſteinenſium quibusdam ſanitas reſtituta.

Joannis Fiſcher civis Biſteinenſis uxor Dorothea, filiam ſuam infantem Eliſabetham, quantum potuit, gratam Deiparæ ſtitit; cujus vitam Deiparæ in acceptis refert. Aegrotabat enim plures hebdomadas extra omnem vitę ſpem: rediit nihilominus non ſpes modò verum & incolumitas, & vita, ubi mater filiolę cauſam apud Deiparam Lindenſem feliciter peroravit. Non diſpari felicitate ibidem cauſam tum filię tum ſuam egit Pudentiana, Gaſparis Haſſelberg in idem civis uxor. Nam & mater per ſex hebdomadas graviter ægra, & filiola Chriſtina per medium annum clauda, citra moram curatę ſunt; ubi mater, & pedes Lindam ſe ituram, & circum Deiparæ Aram ter de geniculis adorando obituram ritè promiſit.

V. Gut-

## V.

## Gutstadienses matronæ duæ curatæ.

Vidua utraque erat, altera quidem Prædixis Georgii Schram ante octo annos defuncti; altera verò Margareta Christophori Steffen ab undeviginti annis eisdem defuncti. Atque illa quidem hyeme proxime lapsâ pedum, brachiorum & capitis gravissimè affecta doloribus erat, ut dentes præ nimio cruciatu gingivis soluti, ultra commoverentur. Supra medium annum vis mali duravit, & miseram lecto plerumque affixam tenuit: quoad illa ad Templum utrunque perreptans, votum peregrinationis Lindensis nuncupavit. Exinde enim vis morbi remisit, ut iteum leucarum ingredi & decurrere potuerit. At verò hæc, præ nimio capitis dolore, utriusque oculi usum ante decennium, perdiderat usum, ita ut altero post chirurgi sectionem penitus orbaretur oculo; altero verò vix tantillum cerneret: cujus tamen facile usum recepit, ubi votum peregrinationis Lindensis ex animo concepit. Et jam tum, solâ filiollâ comitante Lindam profecta, quovis deinceps anno sexagenaria fere anus, & quidem pedes proficiscitur, etiam deinceps, si vires animi respondeant votis, profectura.

## VI.

Plures, ac fere præcipui Brunsbergensium, varia experti beneficia.

Præcipui inter Brunsbergenses sunt Georgius Eilen-

Eisenbletter, Petrus Lemke, Georgius Wichman & Petrus Mollerus, qui hasce Idus Junias apud Lindam præcipuè illustrant. Ac de prioribus, qui gritudinis ergo, suas relumpserunt hoc etiam anno peregrinationes, jam alio loco egimus. Georgius Wichman, Simonis Wiehman Consulis, cum aliàs semper tum Suecici præcipuè belli tempestate ante hac grassante, à consilio, prudentia, rerumque agendarum dexteritate spectatissimi viri filius, & ipse jam ad magistratum promotus subsellia, jam aliquot abhinc annis, gravem ex atra bilis suffusione, hypochondriacis que affectionibus, marorem animi, ac propemodum ipsius vitæ fastidia contraxerat; que ille nusquam melius aut facilius, quam sub Lindæ Marianæ umbra, quò se identidem recipere solet, abstergit. Cujus etiam monumentum esse voluit Tabellam argenteam, Anno MDCLIII. eum hæc epigraphæ circum Imaginem B. Virginis adjecta: *Ave Filia DEI Patris: Ave Mater DEI Filii; Ave Sponsa Spiritus Sancti: Ave Templum totius Trinitatis.* Jam verò à tergo: *D.O.M. Virgini MARIE immaculatæ, Georgius VVichman DD. consecrat que 1653.* Petrus verò Mollerus vir itidem consularis, proximis ante Pentecosten diebus, ex itineris, quod, in provecta satis ætate, equitando sat longinquum confecerat, assidua cogitatione, morbum contraxit admodum periculosum, quo & vires, in corpore alioqui sat vegeto prostratæ, & viscera omnia concussa ac quodammodo contracta sunt, ut per quatuordecim circiter dies nihil cibi portionisvé sumeret, & sanguinem in frustra potius quam in grumos concretum, per quinque omnino dies

dies ejetaret. Desperata erat omnium opinione la-  
 tus, nisi salutare ad B.V. Lindensem votum interces-  
 sisset. Exinde enim vires rediêre; ut, cum Resselium  
 usque curru venisset, Resselio comitantibus patrem  
 Dorothea ac Regina filiabus (quarum hæc intra pa-  
 ternas, illa verò intra sacras conventualium virginum  
 aedes Resselii degit) pedes Lindam usque conficere  
 haud gravatè potuerit. Atque hos non tam comitati,  
 quàm propter eandem die indidem sunt Lindam us-  
 que consecuti Paulus Hanman viginti circiter anno-  
 rum juvenis, & Jacobus Drews; quorum ille annuo  
 capitis dolore, & ex eo scabie in faciem erumpente,  
 iste verò malignâ febre & delirio inde consecuto, per  
 imploratam Divæ Lindensis opem, levati sunt.

## VI.

Trauburgensium quibusdam singularia collata  
 beneficia.

Joannes Rubach cum uxore sua Anna, jam ab un-  
 deviginti annis peregrinationem Lindensem quot-  
 annis frequentat, & conservatorum liberorum causâ  
 gratias agit. Sæviente enim peste, quâ etiam tres iis  
 liberi sunt erepti, si reliqui servarentur superstites,  
 quovis se anno Lindam peregrinatos, voverunt;  
 servati liberi sunt, & parentes. quod voverunt stre-  
 nuè exequuntur. Regina Joannis Hohendorff filia,  
 & manum sinistram, & pedem paralyti jam ante no-  
 vem annos tacta, durante per triennium malo, etiam  
 linguæ usum per aliquot dies amiserat. Parentes fi-  
 liam Deiparæ Lindensi devovent, & curru Lindam  
 deportant. In ipso adhuc itinere restituta est Regina  
 sani-



sanitas: quæ idcirco, iterum atque iterum pedes eam peregrinationem confecit; Elisabethâ majore nata sorore eam tantò alacrius comitante, quò & ipsa votum, pro sorore olim mûta ardentius fecerat. Eodem in comitatu venerunt aliæ duæ è Traumburgensibus matronæ Elisabetha Valentini Gedik, & Catharina Michaëlis Law's civium uxores: quarum illa octo ante annos faciem, præsertim dextrâ parte, sacro ignè affecta, oculorum per decem hebdomadas usum amiserat; & eundem, pulso per votum Lindam factum erysipelate, unâ receperat. Cùm autem iter septendecim minimùm leucarum, pedibus ab se confici Lindam usque posse diffideret, profectiorem ad hanc diem eò distulit, rata se voto solutam, si viciniora quædam è sacris locis adiisset. Verùm & conscientiæ suæ, & aliorum iudicio Lindam coacta, hoc anno se in viam pedes dedit, & totum iter sana atque incolumis confecit. Jam verò Catharina totius corporis, sed potissimùm capitis & faciei intumescens cruciatibus, per annum integrum, jam ante quatuor annos vehementer afflicta, iter, quod Lindam felicissimo eventu voverat, curru jam superiore anno abolvit. Rata autem non satis ab se, sive voto, quod nuncupârat, sive gratitudini, quam B. Virgini deberet, responsum, pedes iterum hoc anno iter emens, tantò uberiores gratias Deiparæ egit, quantò sanioribus exinde oculis lumen cæli intuetur.

VII. Vort-

## VII.

Vormditensium nonnulli opem singularem  
experiri.

Bartholomæus Stol è pago Olbersdorff, à bidua-  
no sanguinis fluxu, & Hedwigis Bartholomæi Her-  
del ex eodem pago coloni uxor, oculorum caligine,  
quæ per hyemem offusa erat ita, ut homines non sa-  
tis dignosceret, liberati sunt: at verò Dorothea Bar-  
tholomæi Wolff civis Vormditensis uxor periculo-  
so quodam morbo Sicuti eorundem filia Anna gra-  
vi asthma, quod per duas hebdomadas respirandi  
propè ademerat facultatem, non alio quàm B. Virgi-  
nis præsidio curatæ sunt. Omnes quocirca facta ab se  
Lindam vota, ut redderent, peregrini hodie advens-  
erunt.

## VIII.

Seeburgensium nonnullis varia collata  
beneficia.

Andreas Blum & Gregorius Schroter, è pago  
Tolnik juvenes, hic quidem capitis dolore per an-  
num dimidium regnante, ille verò apostemate labi-  
um superius noxiè insidente, per nuncupata Lindam  
vota soluti sunt. Jam verò Elisabetha Gregorii  
Schroter ex eodem pago, & Pudentiana Gasparis  
Hartman, è pago Lokau, filia virgines, hæc gravi ca-  
pitis, illa pedum dolore levatæ. Sed & Elisabetha  
Marci Tignau in Melag coloni uxor diro laterum  
dolore, per hebdomadas sex afflicta, simili cum aliis  
ad B. V. Lindenstem voto adjuta est.

IX. Ref.

## IX.

Resseliensium quidam paribus affecti  
beneficiis.

Petrus Bartsch è Torninen juvenis gravi duarum hebdomadam cruciatus è pedibus laborabat; per duas itidem hebdomadas, Anna Joannis Reimer è Glockstein coloni uxor, totius corporis viribus morbo abruptis nimium languebat; utrique & vires, & sanitas, secundum votum Deiparæ Lindensium nuncupatum, rediit. Rediit itidem simili ex voto, cum Elisabethæ è Stutinhubel virgini febrim afflictae, cum Jacobo Schlegel brachii dolore per dimidium annum vehementer discruciato.

## X.

Variis in locis apud Varmiam gratiæ sanitarum  
impensæ.

Emunicipio Heilsbergensi, Barbara in Schulensi pago vidua, duodecim hebdomadam morbo admodum gravi; è Meelfaccensi verò Anna, cujusdam in Liebenthal coloni itidem vidua, durante per triennium febrim; è Wartembergensi denique civitate Walpurgis Joannis Sonn civis itidem vidua omnium artuum dolore, qui per dimidium tenuit annum, liberatae sunt: nullo quidem alio magis quàm Deiparæ Lindensium præsidio; cui quemadmodum singulis tribus obstrictæ erant votis, ita hodie eorundem nexu votorum solutæ.

XI. In-

## XI.

Incertis ex locis gratiæ pro beneficiis  
actæ.

Certa hominum certorum beneficia ac nomina, si quidem illa nonnemo in commentariolo, sine respecto ullius certi loci nomine, & ego necesse habeo prodere. Gregorius Reimer quinque annorum fuerat ex oculis tum sanguine suffusus, tum pustulis adique obsitis graviter laborabat: at verò Margareta Martini Kraus filiola infans vix annum ætatis excessisset. pedis dextri digitos habebat contractos: voto a parentibus utriusque Lindam nuncupato, sanatus uterque est. Eundem in modum Gertrudis Yugo capitis ac pedis sinistri dolore per biennium affecta, voto ab se nuncupato, sanitati restituta est.

## CAPVT XV.

Quatuor ante Calendas Julias intermedii dies.

Ex Calendarum Quintilium diebus proximo capite expeditis, huic initium dabit duodecima ante eadem Calendas dies, quæ apud veteres *Summanò* vocata sacra juxta illud Ovidii in Fastis:

*Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,  
Tunc, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.*

Porro Summantis, quasi summus Manium Orcus sive Pluto appellatus, quem Romani inter illos, a Pyrrho incussos Vrbi timores, sibi placandum videtur sumpsisse. At quis apud Lindam Marianam,